

guendas gravissimas lites ... et Canonici et Dignitales successores ligantur concordia inita per antecessores, *quamvis confirmatio Papae non intervenit*. Quod etiam firmavit Rota in Consentina praecedentiae 6. Junii 1618 coram Dunogetto, praesertim si fuerit longo tempore observata, ut in specie concordiae observatae per spatium viginti trium annorum tradit Rota decis. 88. n. 5. et seqq. p. 6. recent. Per observantiam enim inducitur approbatio ... ex qua vel dicitur praescriptum jus alterius vel saltem per spatium decem annorum inducta consuetudo, Rot. in *Cordubensi* decis. 28. Jun. 1628 coram Ubaldo ... Cui concordiae per quaecumque Rescripta non censetur unquam derogatum, nisi de ea fiat specifica mentio.

Si quae Controversiae de praecedentia forte abortae fuerint, ad Episcopum spectare eas dirimere statuit Tridentinum per haec verba: „Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe cum scandalo oriuntur, inter ecclesiasticas personas, tam saeculares quam regulares, cum in processibus publicis, tum in iis, quae fiunt in tumultu defunctorum corporibus ... Episcopus amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque componat.“ *Sess. 25. de Regular. cap. 13.*

Haec advertendum, quod Sac. Cong. Conc. (Teste Campanili in divers. Jur. Can. Rubr. 12. cap. 13. n. 122.) vigore harum claus. amota appellatione et non obstantibus quibuscumque declaravit, in his causis debere Episcopum procedere brevi manu, summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii. Nec vigore dictae clausulae amota appellatione censetur sublata appellatio quoad effectum devolutivum, sed tantum quoad effectum suspensivum.

Sic *Ventriglia Prax. For. Eccles. tom. 1. annotat. 12. n. 14.*

3) Inter Episcopos.

Vd.: *Episcop.* (praeced.); *Pallium* (Jus non habet Episcopus pallio decoratus alios Episcopos praecedendi.)

Praecedentia Episcoporum in Conciliis provincialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis non autem secundum dignitatem ecclesiarum. Sac. Cong. Conc. die 9. Apr. 1595.

4) Inter Monial.

Vd.: *Moniales* (praeced.).

Pro Monialibus est decretum a Sac. Cong. Conc. in Paduana de anno 1680 apud *Barbos.* in summa apostolic. decis. verb.: *Praecedentia* n. 29., quod scilicet praecedentia inter Moniales a die professionis non autem receptionis habitus regularis debetur; quatenus vero duae insimul professionem emitterent, illa, quae prius admissa fuerit, praecedere debet et si eodem tempore ad habitum admissae fuerint, data etiam professionis paritate, quae prius in capitulo acceptata fuerit, praecedere debet.

5) Inter Novitios.

Vd.: *Processio* (Clerus regul. inter sese.).

6) Parati ante non paratum.

In Ecclesiis Cathedr. Indiarum, ubi praebendae non distinguuntur in Diaconales et Subd. neque adest notabilis numerus Canonicorum, Capellani de choro pluvialibus indui possunt. Ideo dubium: an dicti Capellani ratione paramentorum debeant in choro praecedere Canonicos, Beneficiatos nec non Caudatarium Episcopi?

S. C. resp.: Omnibus scilicet non indutis sacris vestibus. n. 3551 ad 21 die 13. Mart. 1700.

7) In regressu a processione.

In regressu post processiones absolutas non esse locum alicui praecedentiae. n. 3359 ad 2 die 18. Junii 1695.

De Praecedentia vd.: *Processio* (Clerus); *Processio funebr.*; *Canonici*; *Processio* (regress.); *Beneficiati*; *Officiator*; *Parochus*; *Episcop.*; *Synodus*; *Vicarius gen.*; *Laici ante Clerum etc.*; *Vicarius foran.*; *Vicarii perpet.* *Basilic.*; *Abbas*; *Coadjutor Canonicor.*

PRAECONISATIO EPISCOPI.

In die anniversaria Confirmationis seu Praeconisationis Episcopi in Missa, excepta Missa de requ., addenda est oratio: *Deus, omn. fid. Pastor etc.* ex Missa in anniversario consecrationis Episcopi.

S. R. C. 14. Aug. 1858.

Vd.: *Episcopus* (electio).

PRAECONIUM.

Vd.: *Exultet*.

Cum Diaconus incipit cantare Praeconium, Episcopus et omnes surgunt detectis capitibus.

Caer. Ep. l. II. c. XXVII. n. 10.

Incepto *Exultet etc.* celebrans stabit in cornu Epistolae manibus junctis respiciens Diaconum cantantem.

Ibid. c. XXVIII. n. 3.

PRAEDICATIO.

Vd.: *Concio*.

1) Clericorum in s. Ordinib. non constit.

Potest tamen praedicationis munus ab Episcopo committi etiam Clerico, qui non sit in sacris ordinibus constitutus. Sac. Cong. Conc. die 23. Junii 1580.

Gregorius PP. XIII.

Nos praesentium auctoritate declaramus ac etiam decernimus, unumquem-

que *Societatis Jesu* ad s. Ordines non promotum praedicationis munus in vim privilegii hujusmodi exercere potuisse et posse. Vobis (*Societati Jesu*) insuper concedentes, ut etiam clerici vestri prima tonsura tantum insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum ubique populo praedicare.

Romae die 20. Nov. 1584.

(Bull. r. t. II. p. 514. Ed. *Luxbg.*)

2) Clericorum in s. Ord. constit.

Regulariter facultas praedicandi non conceditur nisi sacerdotibus vel saltem constitutis in Ordine Diaconatus. Unde Sac. Congregat. in una Caputagen. 14. Decb. 1666 cuidam Clerico Andreae Sanson. aetatis annorum viginti unius licentiatum in Philosophia et Theologia praedicare volenti tempore Quadragesimae in uno ex locis dictae dioecesis et contra Episcopum ei talem licentiam denegantem ad dictam Sac. Cong. pro facultate recurrenti respondit Relata. Et quod talis facultas non sit concedenda, nisi saltem constitutis in Ordine Diaconatus, fuit expresse ordinatum in Edicto de mandato Clementis XI. publicato die 20. Januarii 1705 ibi: „Quello poi dovrà sermoneggiare, sacra almeno costituito nell' Ordine Diaconale.“

3) Episcopi et coram Episcopo.

Vd.: *Praedicatio Parochi*.

Episcopus potest praedicare in quacumque Ecclesia etiam regulari suae dioecesis, nec ab ullo potest impediri et prohiberi. Sac. Cong. Episc. et regul. die 17. Jan. 1583 apud *Barbosam* in summa apostolic. dec. verb.: Praedicare n. 1. et ad Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 4. n. 3., apud *Lezan.* in summ. qq. regular. tom. 3. verb.: *Concionari* n. 12. et

Congreg. Concilii referunt *Galet.* in Margarita casuum conscientiae verb.: Parochus 3., et *Barbosa* in Trident. sess. 24. de reformat. c. 4. n. 8.

Parochi non naturales Indiarum, sive Saeculares sive Regulares sint, tenentur omnino habere apud se Capellanum natalibus et origine Indum pro Confessionibus audiendis et diebus festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti, in ea, qua initiati sunt, orthodoxa fide langueant ac paulatim deficient, iisque pro sustentatione et labore, ubi populus ipse id sponte non praestiterit, congruum suppeditent stipendium. Clemens IX. Constitut. 38. incip.: *In excelsa.*

Parochi in Concionibus caveant ab allegatione Doctorum et Auctorum moderatorum praesertim viventium. Congreg. S. Officii 27. Octobris 1649 apud *Pitonum* Constit. et decis. ad Parochos spectantes n. 539.

Parochi utantur specialiter in Concionibus Catechismo Romano Maximaeque utiles et Auditorum capacitati adaequatas simpliciter et clare explicant, ut populus libenter audiat, frequenter concurrat et fructuose discedat. Clemens XI. die 16. Mart. 1703 in litera circulari ad quintum.

Parochi singuli tenentur concionem habere in suis Ecclesiis nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis Ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita Innoc. XIII. in sua Constitutione pro reformanda disciplina regnorum Hispaniae, quam Benedictus XIII. confirmavit, ut esset norma caeteris Ordinariis. *Institut. Eccles.* 10. §. 3.

Sufficit tamen pro concione allocutio pia singulis festis, ut respondit S. Congreg. die 8. Augusti 1732.

Concionem proprii Parochi, quam in parochiali Ecclesia diebus festis habet, ascoltare parochiani non tenentur, praecipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. *De Synodo Dioecesis. lib. XI. cap. 14. §. 13.*

9) Tempus.

Vd.: *Praedicatio Episcopi; Praedicatio Parochi.*

Non est praedicandum de nocte, sed tempore praescripto ab Ordinariis. *Concil. Mediolanense* 1. p. 1. tit. de praedicatione verbi Dei. Unde nulla Concio, neque Passionis Dominicae, debet fieri de nocte. Sacra Congreg. Episcoporum et Regular. in Castrensi 20. Mart. 1629.

PRAEDICATOR.

Vd.: *Concionator.*

1) Approbatio Episcopi.

Approbare Praedicores spectat ad Episcopum, licet electio spectaret ad alios. S. Congreg. Episcop. et Regul. in Aquensi 8. Apr. 1603 apud *Nicol.* in Flosculis verb.: Praedicator n. 15. Unde Praelatus exemptus inferior Episcopo, qui non habet territorium separatum cum vera qualitate Nullius, non dat licentiam neque benedictionem Praedicatoribus, qui praedicare debent in locis suae jurisdictionis, sed ista facultas spectat ad Episcopum in cujus Dioecesi locus exemptus existit. Sacra Congreg. Conc. 21. Novembris 1596. *Pign.* 10. cons. 151. num. 16. et 17., *Card. Petra* t. 4. Comment. ad const. 5. *Calisti III.* sect. 2. n. 57. et seq., ubi adducit plures S. C. C. et Rotae decisiones.

Ad Episcopum spectat dare benedictionem Concionatori, qui praedicare debet in Ecclesia Conventuali Ordinis militaris *s. Stephani. Sacra Congreg.

Conc. in Pisana jurisdictionis 21. Febr. 1688 in responsione ad 18. Item ad Episcopum Dioecesanum spectat dare licentiam et benedictionem Praedicatoribus, qui debent praedicare in Ecclesiis Prioratum Religionis Hierosolimitanae non habentium territorium separatum cum jurisdictione quasi episcopali et vera qualitate Nullius. Sac. Congreg. Conc. in Vulturariensi apud *Card. Petram* loc. cit. n. 58., ubi refert totum Decretum et etiam plures decisiones Sacrae Rotae Romanae.

Vd.: *Constit. Leonis X. diei 19. Dec. 1516 in Bull. r. t. I. p. 579.*

2) Benedictio.

Vd.: *Bened. Concionat.; Praedicator regul. (licentia, bened.); Praedicator (electio); Concionator; Praedicatio Episcopi.*

3) Cathedralis.

Vd.: *Praedicator (electio).*

4) Electio.

Ordinarius debet eligere Praedicores, nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore. Sac. Congreg. Conc. apud *Zerol.* in praxi Episcoporum par. 1. verb.: Praedicatio §. 7., *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. part. 3. allegat. 76. num. 5. et in Summ. Apostol. decision. verb.: Praedicator num. 12. et supra *Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. num. 5. Electio tamen et deputatio Praedicatoris in sua Cathedrali* spectat ad solum Episcopum, nulla habita ratione consuetudinis etiam immemorabilis, quae competeret Capitulo seu Episcopo cum Capitulo vel de consilio Capituli. Sac. Congr. C. in Abulens. 3. Aug. 1686 apud *Barbosam* in Summa Apost. dec. verb.: Praedicator num. 11. et supra *Concil. cit.* num. 6. et seq. et cit. allegat. 77. n. 6. et *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. n. 41.

Capitulum in electione Praedicatoris pro Ecclesia Cathedrali nihil potest. Sac. Congreg. Conc. apud *Barbosam* in Summa loc. cit. num. 8. et supra Conc. 1. c. num. 8. et cit. alleg. 76. num. 7.

Addenda sunt sequentia resoluta dubia a Sac. Congreg. Conc. die 5. Sept. 1705 in Urgellen. juris concionandi, videlicet:

Primo: An Concionator deputatus ab Episcopo ad praedicandum in Cathedrali aliisque Ecclesiis in ejus ambitu existentibus teneatur exhibere literas patentes Capitulo in casu?

Secundo: An liceat Capitulo seu ejus Decano retinere clavem pulpiti ejusdem Ecclesiae Cathedralis?

Tertio: An Episcopus procedere possit per censuras in casu, quo Decanus et Ganonici se opponant in casu, non obstante, quod Capitulum se tueretur observantia sibi favorabili ac praetensione ordinariae jurisdictionis super Ecclesia Cathedrali ejusque ambitu?

Sacra Congregatio die, qua supra, respondit quoad primum et secundum: Negative. Ad tertium: Affirmative, et amplius in omnibus.

Sic apud *Scarfonton.* part. 3. addit. 18. num. 11. per tot., ubi multa alia adducit ad rem.

Si civitas seu universitas sit in possessione nominandi et praesentandi Praedicores pro Cathedrali cum onere solvendi eleemosynam, debet manentem in tali possessione; at si Episcopus vellet jus nominandi sibi vindicare (prout vere potest), non posset eandem ad solutionem cogere, sed teneretur de proprio expensas et eleemosynam ministrare. Sacra Congreg. Concil. apud *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. n. 41., et apud *Monacell.* part. 1. tit. 11. formul. 7. n. 14. et signanter 11. Jun. 1596 decreto tenoris sequentis:

apud Nicol. in Floscul. Verb.: Praedicator. n. 14.

Non potest tamen praedicare extra suam dioecesim sine licentia Ordinarii loci. Sac. Cong. Episc. et Regular. in Theatina 12. Dec. 1614 apud Nicol. loc. cit.

Episcopo praedicanti per se ipsum in sua Ecclesia, cum ex proprio munere ad id teneatur, *minime licet*, etiam ex praetextu paupertatis, *praetendere sibi praestari eleemosynam solitam* dari Praedicatoribus electis ab Universitate. Sac. Cong. Episcop. et Regul. in Vestana 20. Martii 1621 apud Sellium in Selectis Canon. cap. 23. n. 18. et Barbos. ad Conc. Trid. cit. sess. 24. cap. 5. n. 4. et *Gavant.* in Manual. Episcop. verb.: *Concio Sacra* n. 2.

Quando ipsemet Episcopus praedicat, *silere debent alii Concionatores*, illisque poterit praecipere, ut eo tempore a praedicatione se absterneant. Sic de mandato Urbani VIII. statuit Sac. Cong. Conc. in Bituntina 2. Maii 1629.

Quo tempore Episcopus concionem habet, nemo alius, neque Regularis, concionetur. *Concil. Mediolan. IV. et ex Decret. Clement. V.*

Imo, si Episcopus ex causa publica, convocatis magistratu, clero et populo, coram se praedicare faciat, potest praecipere Regularibus, ut a praedicando absterneant. Sac. Cong. Con. 10. Mart. 1645 apud *Gavantum* in *Manual. Episcoporum.* Verb.: *Concio* n. 3.

Praestat insuper haec, quae sequuntur, exscribere ex Benedicto XIV.: „Jam vero (sic ille) nulla unquam in Sac. Cong. Conc. fuit difficultas circa prohibitionem factam Regularibus, ne ea hora in suis Ecclesiis conciones habeant, qua Episcopus per semetipsum praedicat, sed semper et firmiter censuit, ejusmodi prohibitionem in suo robore permanere atque ad unquam esse servandam. Ita quippe re-

spondit in *Pacen.* 26. Apr. 1607 ad 4. dub. lib. 89. Positionum p. 170; in *Bituntina* 17. Febr. 1629 lib. 14. decr. p. 32.; *Brundusina* 10. Martii 1645 lib. 17. p. 445. Quin immo eadem Congregatio semper fuit in sententia, licere Episcopo concionem habere ad populum in qualibet suae dioecesis Ecclesia, etiamsi ad Regulares pertineat, juxta ea, quae congesta leguntur tom. 8. Bullarii Ord. Praedicatorum editi ab Antonio Bremond, nunc ejusdem Ordinis Generali Magistro, tit. 5. quaest. 1. n. 37. Sed saepius quaestio agitata est super secunda prohibitionis parte, qua interdicitur Regularibus, ne praedicent, *quando Episcopus coram se solemniter praedicare facit*: quoniam, etsi eadem Congregatio olim respondisset, hanc quoque prohibitionem sustineri, attamen Gregorius XIII. vehementer dubitavit, an id esset usu receptum, sicuti adnotatum reperimus in *cit. lib. 89. Positionum p. 171* Enimvero, cum soleant Episcopi concionibus in sua Cathedralis interesse tempore Adventus et Quadragesimae, si praedicta prohibitio vigeret, debeant Regulares ab habendis in suis Ecclesiis concionibus abstinere eo potissimum tempore, quo Fideles illas audire solent et hac de causa Regularium Ecclesias frequentant. Haec autem ratio tantae efficacitatis visa est sacrae Cong. Concilii, ut in allegata causa *Pacen.* 26. Apr. 1607 dixerit, nulli quidem fas esse concionari, quando Episcopus ipse per semetipsum ad suum populum verba facit, sed nequaquam impediri posse Regulares, ne in propriis Ecclesiis conciones habeant, quando Episcopus *coram se solemniter praedicare facit*: at postmodum, eadem quaestione novo examini subjecta, in citata causa *Brundusina* 10. Mart. 1645 eadem Congregatio mentem suam clarius explicans declaravit, id esse intelligendum, cum Episcopus consuetis con-

cionibus interest, quae per annum fieri solent; sed si Episcopus *ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu et populo, coram se praedicare faciat*, tunc illi licere dixit, praecipere Regularibus, ut a praedicando absterneant, atque inobedientes poenis etiam censurarum coercere. Equidem omnes praedictae rerum circumstantiae videntur efficere illam solemnitatem, quam jura requirunt, ut non liceat eodem tempore Regularibus praedicare; secus vero accidit, cum, tempore Adventus et Quadragesimae, Episcopus concioni adest; tunc quippe non videtur Episcopus *facere coram se solemniter praedicare*, sed potius concionem audire, quae etiam eo absente haberetur.“ De Syn. Dioeces. l. 9. cap. 17. n. 7.

Ad dubium propositum in S. R. C. pro parte Illustriss. et Rmi D. Card. Aquaviva civitatis Neapolitanae Archiepiscopi: An scilicet conveniat, ut quando aliquis Episcopus in eadem civitate Neapolitana, ipso Illustriss. D. Card. Archiepiscopo praesente, sermonem vel concionem habuerit, antequam pulpitem vel ambonem ascendat, petat ab ipso Archiepiscopo benedictionem, sicut caeteri concionatores non Episcopi facere solent?

Eadem S. C. respondit: *Ob supremum ordinem et dignitatem episcopalem non convenire, ut Episcopus concionaturus ab Ordinario etiam Cardinali ante concionem benedictionem petat.*

Et ita censuit et declaravit. Die 28. Aprilis 1607 in *Neapolitana.*

Episcopo solemniter celebrante non decet omnino sermonem haberi nisi vel ab ipsomet Episcopo vel ab aliquo Canonico, qui eo casu servit Episcopo in officio Presbyteri assistentis. Si vero Episcopus non celebret, sed Missae per alium cantatae intersit, tunc ab

aliquo ex Clericis idoneo, de Episcopi licentia, sermo habendus erit; ejus habitus erit cappa supra rocchetto vel alius, qui fuerit in Ecclesia proprius habitus canonicalis. Si autem fuerit regularis, in habitu ab ipso deferri solito in concionando. Sermo vero regulariter infra Missam debet esse de Evangelio currenti. Quicumque sermonem habiturus finito Evangelio ducendus est per Caeremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam, nisi fuerit Canonicus, genuflexus osculatur; Canonicus autem stans profunde inclinatus osculatur manum, deinde benedictionem petit dicendus: *Jube Domne benedicere*, cui Episcopus respondet: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et fructuose annuncies verba Sancta Sua. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Accepta ab Episcopo benedictione petit mox ab eodem Indulgentias dicendo: *Indulgentias Pater Reverendissime.* Cui Episcopus concedit Indulgentias consuetas; quibus habitis cum debitis reverentiis recedit ac vadit ad ambonem seu pulpitem, in quod cum conscendit, aliquantulum quiescit ac se componit cooperiens caput; statim, capite detecto, signat se signo Crucis et genuflexus recitat Salutationem Angelicam*) voce intelligibili et devota, mox surgit et capite cooperto incipit sermonem. Inter concionem, cum convertit orationem ad Episcopum aut Legatum ibi praesentem, caput profunde inclinatur. Finito sermone capite detecto genuflexus expectat finem confessionis, quam facit Diaconus et ea finita surgit et stans in eodem pulpito seu suggestu publicat Indulgentias ab Episcopo concessas et statim descendit receditque in pace, advertat propterea, ut formam

*) Vd.: *Salutatio Angelica.*

pronunciandi Indulgentias memoriter teneat. Si vero habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod Jubileum vel pro gratiarum actione ad Deum de aliquo felici nuntio aut publicatione foederis seu in adventu alicujus maximi Principis vel ex alia quacumque simili occasione, non debet infra Missam fieri, sed illa finita nec tunc benedictio petitur. Idem dicitur, si in Missa defunctorum vel in laudem alicujus magni Viri defuncti habeatur; quo casu fit statim finita Missa, antequam fiat absolutio, et in habitu ordinario.

Caer. Ep. l. I. c. XXII. n. 1 — 6.

4) Laici non ad fores stant.

Praedicationis tempore prohibendi sunt populi stare otiosi in Foro seu in Platea. Concil. Treviren. c. 10.

5) Laicis prohibita.

Praedicare non possunt laici cujuscumque sint ordinis et professionis ex textu expresso in cap.: *Sicut* 14. de Haereticis; ibi: „Cum igitur nonnulli laici praedicare praesumant et verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum subintrent, Nos attendentes, quod Doctorum ordo est in Ecclesia Dei quasi praecipuus, mandamus, quatenus cum alios Dominus apostolos dederit, alios prophetas alios vero Doctores, interdici laicis universis cujuscumque ordinis censeatur, usurpare Officium praedicandi“, et concordat cap.: *Cum ex injuncto* 11. eod. Conc. Carthag. IV. c. 68. Conc. Trev. II. c. 2. Immo laici praedicantes subjacent Excommunicationi et nisi quamcitus resipuerint, alia competenti poena sunt plectendi; textu expresso in cap.: *Excommunicamus* 13. de Haereticis, §.: *Quia vero*, ibi: Quia vero nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Aposto-

lus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant praedicandi, cum idem Apostolus dicat, quomodo praedicabunt, nisi mittantur? omnes, qui prohibiti vel non missi praeter auctoritatem ab apostolica Sede vel catholico Episcopo loci susceptam publice vel privatim praedicationis Officium usurpare praesumpserint, excommunicationis vinculo innodentur, et nisi quam citius resipuerint, alia competenti poena plectantur. Et concordat Concil. Constantiens. sess. ult. in Constitutione Martini V. circa finem, et sic expresse decrevit Sacra Congregatio Conc. die 23. Jun. 1580 apud Fagnan. in cap.: *Responso* 43. de sentent. Excommun. n. 19.

Et a fortiori praedicare nequeunt mulieres l. 3. Constitut. Apostolorum cap. 6., ibi: Igitur mulieribus, ut in Ecclesia doceant, non concedimus, sed tantum ut preces faciant et audiant Doctores; Noster enim Magister ac Dominus Jesus Christus, cum nos duodecim ad docendum populum et gentes misit, nusquam mulieres ad praedicandum misit, tametsi non deerant. Erant enim nobiscum Mater Domini et sorores ejus praeterea. . . Sane quidem si necesse fuisset, ut mulieres docerent, ipse primus iis quoque mulieribus, quae nobiscum erant, populum erudire praecepisset. Si enim vir caput mulieris est, non est aequum corpus capiti praeesse; et concordat cap.: *Mulier* 29. dist. 23. Concil. Carthaginens. IV. c. 68. Concil. Constantiens. sess. ult. in Constitutione Martini V. circa finem.

6) Missa infra praedic.

Praedicationis tempore non potest in Ecclesia dici Missa. Concil. Coloniens. III. tit.: Censurae c. 19., Concil. Mediolan. part. 1. tit.: de praedicat. Verbi Dei.

7) Coram Monialibus.

Ad praedicandum Monialibus mitti potest quilibet Regularis, modo non alloquatur seorsim aliquam ex ipsis. Sacra Congreg. Episcop. et Regular. in Montisfalsi 25. Martii 1591 et in Hieracens. 2. Martii 1592. Etiam pro sermonibus spiritualibus ad crates. Sacra Congreg. Episc. et Regular. in Interamnensi 8. Jun. 1563 et in Terraciniensi 5. Mart. 1608. Vel ad conferendum cum Monialibus sermonem de rebus spiritualibus, sive ad crates sive ad collocatorium. Sacra Congreg. Episcop. et Regul. 2. Jun. et 14. Nov. 1601 apud *Pignatell.*

Regulares vero missi ad crates Monialium pro munere praedicationis obeundo peccant mortaliter et incurunt censuras et poenas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post concionem cum aliquibus seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quaestionibus vel dubiis spiritualibus aut materiis ipsius concionis.

S. C. C. die 21. Maii 1678.

8) Parochi.

Possunt Parochi per se ipsos inter Missarum solemnia sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse praedicat. Sacra Congregatio Concil. in Terulen. 11. Jun. 1731, ubi subdit, id non intelligi respectu Parochorum in sua Ecclesia parochiali. Ita apud *Barb.* de Offic. et potest. Parochi par. 1. c. 14.

Parochi, si per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri. Sac. Congreg. Conc. ad c. 2. sess. 5. de ref. in haec verba: „Si curatores animarum per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri.“ Sic refert *Barb.* l. c. n. 5.

Immo tempore Quadragesimae possunt de mane in suis Ecclesiis prae-

dicare, non obstante consuetudine, quod in sola Matrice vel alia Ecclesia concionetur. Sacra Congreg. Conc. in Florentina Juris praedicandi 26. Jan. 1697 apud *Monacell.* par. 1. tit. 10. form. 19. n. 4.

Parocho per se ipsum concionanti minime licet praetextu cujuscumque paupertatis praetendere sibi praestari eleemosynam solitam dari Praedicatoribus ab universitate electis. Sacra Congreg. Conc. in *Vestana* 10. Martii 1621 apud *Sellium* in Select. Canon. cap. 23. num. 18. et apud *Barbosam* loc. cit. num. 7. et in summa apost. decis. verb.: Parochus quoad praedicationem n. 3. et in Trid. sess. 5. de reform. c. 2. n. 15.

Parochi prohibentur in suis Ecclesiis admittere Concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi praedicare vellet aliquis Episcopus. Et ita jam hodie nullus etiam a Parocho invitatus praedicare poterit sine licentia Episcopi, ut declarasse Clement. VIII. referunt *Zip.* in analitica postremi Juris Eccles. enarrat. lib. 3. tit. de Parochis num. 3., *Berti Lucens.* in praxi crim. Regular. cap. 34. de Visitat. Eccles. Parochial. n. 1. vers. Regulares, *Barbosa* de Offic. et potest. Parochi p. 1. c. 14. n. 8. in Trident. sess. 24. n. 7.

Possunt tamen Parochi dare licentiam alicui viro docto et noto, etiam Regulari, ut bis vel ter concionetur in suis Ecclesiis sine Episcopi approbatione. *Navar.* in Manual. cap. 25. n. 141., *Ugolin.* de Officio Episcopi c. 42. §. 1. n. 3., *Hieron. Rodriq.* in Compendio quaest. Regular. resol. 112. n. 4., *Berti Lucens.* loc. cit., *Barbosa* de Officio et potest. Parochi loc. cit. n. 8. et in Trident. loc. cit. n. 9. et alii. Et a fortiori possunt, immo debent Parochi concedere approbatis ab Ordinario licentiam praedicandi in suis Parochiis. Sic decisum fuisse a Sacra